

Aduerteneias para

sitate possit eligi ille, qui etiam per ius Canonicum esset inhabilis, ut bastardus, Laicus, aut iuuenis, si nullus esset magis idoneus. Hoc Probatur per. B. Paulum. 2. Cor. 10. qui dicit de Ecclesiæ ordinationibus, q[uod] non erat sibi data potestas indestructionem, sed in ædificationem. Vnde dicebat. B. Bernardus, que introducta sunt pro charitate, non debent militare contra charitatem. Quod tamen esset si in præfata necessitate, hi qui sunt per statuta humana inhabiles ad eligendum actuē, & passiuē, nō possent eligere, neq[ue] eligi existente tali necessitate. Aut prædicti fratres non sunt in sufficienti numero ad eligendum. Puta, si sunt tam duo, inter quos nō cadit electio, quia fortē eorum prelatus obiit, & nullum prefecit inter eos : quia si unum ex ipsis duobus præfecisset, ille inter eos esset prelatus, & alter subditus : & tunc possit ambo uti præfatis indultis, quia [ut dictum est in secundo dubio] ille qui esset prelatus, presumitur ad hoc esse à Papa licentiatus, & approbatus, & ipse alteri tanquam suo subdito posset dare præfatam licentiam utendi indultis, sine qua aliter ipsi subdito non liberet eis uti. Si tamen [ut dictum est] neu-

ter